Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 627
Quelle:
Copyright:

tium: *Frequenter diximus. Semper enim Chriſtiani perſecutionem patiuntur* &c. Quantis Codex hic *Hieronymum* onerat! Adi potius *Auguſtini* T. VI. *Append. col.* 368. Ibi inter *Sermones* ſpurios *ad FF. in Eremo* deprehendes.

IX. *fol.* 86. *Hugo de ſancto Victore. De virtute orationis.* T. II. *Opp.* illius p. 238. edit. *Rotomag.* extat pius hic Tractatus inſcriptus *de Modo Orandi*, et incipiens: *Domino et patri T. H. munuſculum hoc dilectionis meę ea vos precor benignitate ſuſcipite* &c.

X. *fol.* 91. *Incipit Sermo Sancti Athanaſii In Obſeruatione Monachorum.* In edit. *Mauriana Opp.* T. II. *Pariſ.* 1698. p. 709. f. abjudicatur merito ab *Athanaſio* haec *Exhortatio*, quae nunquam graece viſa fuerit, et autorem latinum aperte prodat. Ejus initium: *Etſi quidem* (ut?) *in Chriſto gloriari licet, hujusmodi principiis ſitis initiati* &c. Deeſt in edit. *ſitis;* ceterum emendatiora ſunt Codice.

XI. *fol.* 94. *Hec ſunt XV. ſigna XII. dierum ante diem iudicii que inuenit beatus iheronimus in annalibus libris iudeorum.* Nugae, et maxime abſurda poſtrema: *Eadem nocte qua pater et mater eius* (Antichriſti) *conuixerint, uenit ſpiritus diaboli in uterum matris eius, non tamen ita uirginaliter ſicut in Mariam ſpiritus ſanctus uenit, et ita naſcetur antichriſtus.*

Subtexta eſt Codici Membrana Fragmentum Statutorum *Ciſtercienſium* ab elegante manu, in quo de *Anniverſario domini pape bonorij, Richardi anglie, Philippi et Ludewici francie regis*, item de *negotio albienſium* &c. Memoratur etiam Annus MCCXXXV. Nec dubium, Statuta iſta olim e *Galliis* ad *Montem Pomarium* delata fuiſſe.

CCCX.

Codex membraneus lat. Sec. VII. aut VIII. Folior. partim 4. partim f. 159. charactere currente ſaxonico, non unius manus, nec unius temporis, lectu tamen ſat difficili exaratus, rubricis diſtinctus, multis locis aevo adtritus, quondam, ut p. 1. adnotatur, Coenobii *ſancti Columbani de Bobio*, quem locum *Agilulfus Langobardorum* rex non procul *Ticino* ad *Apenninum* ſancto Viro a. 612. dederat, dein Conventus S. *Joh. de Carbonaria* O. Erem. S. Aug. *Neapoli*, ubi illum, teſte *Muſeo Ital.* P. I. p. 110. *Joh. Mabillonius* 1685. obiter inſpexerat, demum a. 1717. Imp. *Carolo* VI. oblatus Miſcella complectitur, quae ordine ſuo ediffererenda ſunt. R. 85

I. *Incipit ſeries uirorum illuſtrium ſancti hieronymi presb.* In Prologo ad *Dextrum* non cum *Vallarſio provocas*, ſed cum *Fabricio* in *Bibl. Eccl.* Noſter legit *vis provocare*, quod et Graecus habet προκαλεῖσθαι βούλει. Nomina Scriptorum rite decurrunt, utrobique tamen *Juſtinus* et *Julianus* Noſtro *Juſtus* et *Julius* ſunt. Inter *Hieronymi* Scripta omittitur *L. in Aggaeum*, et ſubditur: *Finit amen deo gratias. Hucusque beatus hieron-*